

7
THESES.
DE CVRNELIO ⁹⁾

BESTIA CRVDELI ET NOXIA.
SVB
DIVI HARPOCRATIS PRAESIDIO.

A

*Secundo Philosopho Silentij candidato ad disceptan-
dum proposita in celeberrima Pythagoreo-
rum Acroasi.*

Disputabuntur ad calend. Græc.

∴ Δ ♀ ∴



TYPIS.

Cornelij Taciti Typographi Pythagoræi.

22

DEB. CVRNEIO
BESTAON VIBELT WOKA

DIV. HANNOVERAUS TRASSIDIO

Stempel (faint, illegible)

UNIVERSITÄTS- u. LANDESBIBLIOTHEK
HALLE/S



TYPIS
Compt. Tacet Typograph. Leipzig



REVERENDO PATRI

C. Mutio Trophonio Silesio, delecto Abbati atq; Presuli
in cœnobio Ordinis Silentis, Patrono
suo summè colendo.

S. D.

Crebro hæctenus agitatum inter bonarum disciplina-
rum studiosos de Cornelio sermone adagium est, paucis
tamen medullitus, quò ad originem, cognitum: Non-
nulli enim de Cornelio illo Tacito, non muto certè, sed re-
rum scriptore eloquentissimo, deductum censent. At quàm
errent de toto scilicet cœlo terranè, Logicum illud axioma
notationi proprium declarat graphicè: Cui videlicet nota-
tio non conuenit, eidem nec nomen conuenire. Veritati igi-
tur consulturus hæcè themata in medium proferre uolui sub
literario incude producenda.

Indaganti autem mihi pro more sapius multotiesq; Pa-
tronum, cuius sub patrocínio vel Momo iudice quiescendum,
nullus dignior neq; potior te visus tandem fuit, Vir reueren-
dâ dignitate prædita, qui omnium suffragijs, ne dicam alia
virtuti tue parum conueniens, vel alter Pythagoras, præ-
ceptor quondam & Antesignanus noster haberis decanta-
ris, prædicaris. Accipe ergò hoc tibi dicatum à nobis mus-
cusculum in monumentum, cum amplissimi tui nominis, tum
nostri in te studij perenne. Vale. Data Metaponti. Iphis Gra-
cor. iam instantibus calendis ? & ♀ Δ.

T. Reucren. dignat.

summò cole

Secundus φιλόσοφος

THEMATATA DE

CVRNELIO.

Cum rectè moneat oratorum Romanorum Coryphaeus lib. i. de off. Omnem, qua à ratione suscipitur aliquà de re, disputationem debere à definitione proficisci, nostrae quoq; disputationis materiam ab eà exordiemur.

I.

Curnelius, de quo hic questio instituitur, bestia est tristis & squalida, macilenta ac pallida, mortaliū mentes vel casu aliquo immergente sinistro, vel ex defectu pecuniae, vel parua actione, ex agitans, curis varijs discutendo.

II.

Dictus putatur à nomine curā, coniunctione vè, & græco verbo λύω, quod soluo significat, κατ' ἀντίφρασιν, hoc est, quis curam minimè soluens, sed subindè adaugens.

III.

Hunc ob actionum diuersitatem quadruplicem formamus secundum quatuor corporis temperamenta.

IIII.

Primus sanguineus ceteris omnibus tolerabilior est, utpotè qui leuiter saltè mentem ferit: Oritur autem ex re tali, cuius quidem pudeat non nihil atq; pœniteat nos, verum, cum iocosa nec non ridicula illa sit, in risum tandem abit.

V.

Verbi gratia, si quis fortè inter Scyphos iocularia præter decorum protulerit, vel animum nimia letitiâ quocunq; modo explere gestiuerit, vel causa præbita loco exceptus, iocularijsq; delusus fuerit.

VI.

Alter hoc deterior est, cum quis talia admittit, quorum postridiè

postridiè ita pœniteat. ut & sibi & alijs irascitur: huic Cole-
rice nomen.

VII.

Putà flauà bile percitus quosdam iuter pocula ad pu-
gnam secum conferendam si prouocarit, vel quocunq; modo
lites seruerit.

VIII.

Hucq; potest referri, si temulentus vel apud Virgines rü-
pto podice locutus fuerit, vel vomens frustis esculentis vinum
redolentibus mensam vel alium locum honestum impleuerit,
vel choreas ducens excrementis vrinauè caligas suas made-
fecerit. Et quæ hisce sunt affinia.

IX.

Melancholicus tertius est in ordine & dicitur is, qui ob
admissum facinus aliquod ita mentem torquet & in diuersas
partes rapit, ut quò se vertat, nesciat, & hic immanitate, seui-
tià & truculentia in ceteros omnes vincit.

X.

Cum videlicet atra bile, veluti astro percitus, vel homi-
nem ita ceciderit verberibus, ut nec spes vitæ sit reliqua, vel
proffus occiderit, vel quod leuius est, aliena s. ades, miseros
lapides vulnerauerit, oppugnauerit, fenestras discussit, fo-
res effregerit, vel quod leuissimum censetur, puella tremulen-
tus volenti tamen stuprum intulerit, grauidamq; fecerit, vel
deniq; quacunq; ratione conscientiam suam laferit.

XI.

Postremus est Phlegmaticus, cum quis manè vomitum
reddere cogitur, quod quia difficilius accidit quàm vesperi,
nec non dolore cum maximo, nos libisse pœniteat pudeatq;
in primis si in lecto parum honestè nos gesserimus.

XII.

Causa efficiens, præter superius enumeratas, est vinum;

vel cereuisia, vesperi nonnihil largius pota, atq; ad tales actio-
nes impellens, quæ in ipso quidem actu arrident atq; placent,
veruntamen mané Curnelio in memoriam nos reuocante
atq; exaggerante, vehementer displicent, undè à Germanis
Rewel dicitur.

XIII.

Materia ex quâ est temeritas & incogitantia.

XIIII.

Materia in qua est mens humana.

XV.

Cognata sunt Tristitia, dolor, ira, pœnitentia, pudor.

XVI.

Pugnant cum hâc deterrimâ bestiâ, & quæ ex diametro
aduersantur, Gaudium, Lætitia.

QVAESTIONES.

1. An Curnelius semper tanquam indiuiduus comes pota-
tiones seruat?
2. An remedijs apud illos, qui à curnelio infestantur,
iocus sit.
3. An Curnelius expelli, nunquam expulsus in perpetuum,
Ita ut nunquam reuertatur, abigi et relegari possit.

Ex Thesisibus Curnelianis consideratis disceptatis, venti-
latis et excusis apparet, ipsum Cornelium tortorem esse pes-
simum, & flagellatorem hominum crudelissimum. Ne igitur
deinceps multis, quibus ægritudine aliqua contaminauit gau-
dium nocumento esse possit, ex consensu ampliss. collegij Si-
lentiariorum in perpetuum ad extremos Garamantas & In-
dos profligandus censetur.

Sequitur

SEQUITVR RELEGATIO CORNELII.

CVM, teste Poeta, melius sit unam aliquam corporis partem, maximè si vitiosa sit, amittere quam totum corpus per negligentiam & somnolentiam perdere: Et medici, ne pars sincera trahatur, quamuis invitè, ad secandum & vrendum accedunt: Sic nos multo magis medicorum vestigia secuti, ea, quæ animum nostrum, ut pote partem hanc longè præstantiorem, infestare, perturbare, tristitiæq; grauare conantur, merito reijcimus, propellimus, proculq; à nobis abesse studemus. Eam igitur ob causam te Cornelium pessimum quietis & gaudij perturbatorem matutiniq; somnii interrumpentem suauissimi, qui tot nobis molestias & dolores reuocatione eorum in mentem, quæ per nocturnam compotationem gesta fuèr, creas atq; infers, in perpetuum relegamus, & à nobis bonisq; omnibus in adibus nostris cogitantibus & degentibus, exulare iubemus. Ita ut nihil tibi nobiscum sit commercij, atq; negocij in posterum, tibiq; ut quàm primum hinc discedas, ne plures nobis, in primis verò N. N. tuo summo adversario & antipalo excites molestias, curas atq; mœores, & in grauiorem incidas pœnam, serio precipimus. Id quod nobis omnibus hoc programme significandum duxi.

B. V. Ex collegio Pythagorico sub sigillo
nostro consueto.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its light color and the texture of the paper.



Umg. VI 67

[Dissertationes

miscell. Vol. 21.]


ULB Halle


3

002 402 475



A-20





7

THESES.

DE CVRNELIO ⁹⁾

BESTIA CRVDELIET NOXIA.

SVB

DIVI HARPOCRATIS PRAESIDIO.

A

*Secundo Philosopho Silentij candidato ad discceptan-
dum proposita in celeberrima Pythagoreo-
rum Acroasi.*

Disputabuntur ad calend. Græc.

• Δ ♀ ♀



TYPIS.

Cornelij Taciti Typographi Pythagoræi.

